



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 52. Petruccius Florentinum invasionem Papæ dissuadet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

tis articulos non ita pridem promulgatos Sæcul. XVI.
 perspexerat, auxitque timorem utrius- A.C. 1511.
 que Regis fiducia, qua prosperos armo-
 rum successus adeo fidenter sibi pollice-
 bantur, ut Papam Bononiæ, ac Ferrar-
 iæ jamjam imperitantem cernere crede-
 rent; unde Julii arbitrio relinquebant,
 quænam harum urbium prima expugnare-
 tur, & quamvis Pontifex Bononiæ recupe-
 randæ desiderio flagrare videretur, mu-
 tato tamen repente consilio totus in eo
 erat, ut expeditionis initium a Florenti-
 ni status expugnatione duceretur, eo-
 quod hic iis, qui in Pisana Synodo adversus
 Papam congregati erant, asylum præbe-
 ret. Præterea Papa eo firmiter suo pro-
 posito inhæsit, quo certius persuasum si-
 bi habebat, Gallos Romandiolam infestis
 armis invadere minime ausuros, nisi ex
 Hetruria annonam extrahere certo spe-
 rarent.

§. LII.

*Petrucius Florentinorum invasionem
 Papæ dissuadet.*

Cum vero Florentinorum Status Senen-
 sibus haud conspirantibus armorum
 vi expugnari vix posset, Pandulphus Pe-
 trucius Senensis Reipublicæ Rector in
 consilium advocatur, qui ibidem summo
 Pontifici gravibus rationum momentis ex-
 ponit, culpam haud reparandam com-
 mitti,

Sæcul. XVI
A.C. 1511.

Guic. l. 10.

mitti, si iniquissimo hoc tempore Florentinis bellum inferretur; hanc enim Rempublicam hucusque neutri parti adhæsisse, jam vero si bello peteretur, abs dubio se Gallis addicturam, horum vero vires inde non parum auctum iri; nec Florentinos, quod Pifarum urbem in Synodo congregandis concessissent, culpæ postulandos, cum ad id armis, ac plusquam viginti armatorum millium exercitu compulsi essent. Nec tamen Petruccio aliæ deerant rationes, quibus Papam a Florentinorum bello avertere impellebatur; timebat enim, ne foederatorum copię castris suis totum Senensium territorium emetirentur, villasque circumvicinas occuparent, quo facto in se Senensium invidiam concitasset. Ut res se habuerit, Hispaniæ tamen ac Venetorum Legati adductis Petruccii rationibus expugnati, Julium impense rogabant, ut primos socialium armorum conatus ad Bononiæ recuperationem impenderet; nam dicebant, diuturniori Florentinorum expugnatione frustra tempus conteri; cæsis enim Gallis Florentiam absque obsidionis impendio deditorem facturam, Gallis vero victoriam reportantibus, abs dubio eorum ope urbem in tuto collocandam. His permotus Pontifex, Legatorum votis cessit.

§. LIII.